

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCCLV.

VD18 90538943

CXIII. Quaestio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

C X I I I

Q U Ä S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

Quam tuebatur

JAC. ALBERTUS HAZON,
ET PETRUS JOSEPHUS MACQUER,

Sub hac verborum serie

*An in calculo renum & vesicae, pro natura calculi,
estate, & temperamento agrotantis Remedium
Alkalino-saponaceum Anglicum?*

Parisiis 1742.

F f f 2





I.

Morbos inter chronicos quibus affligitur corpus humanum reperias vix ullum calculo graviorem; ægritudo longa, acuta, periculosa; eo cæteris formidanda magis, quod longo cruciatu vitæ principia sensim sine sensu, quasi e longinquo, suffudit, atque non nisi summa dolorum vi enecat. Productus in rene calculus ab exilissimo germine, gravia semper non secum affert symptomata; residet aliquando diu in rene inclusus, nec sui dat indicia; aperto quinetiam cadavere detectus est, attamen homines, dum viverent, de eo fuerant ne conquesti quidem: ast si paulo celerius lapis sumpserit incrementum, si fuerit vel leviter concussus eve sua sede dimotus, casu, motu violentiori, injussa corporis aliqua motione, iictu, vectura durius succussante, vividioribus animi pathematis, prava victus ratione, proh! qualis miserum circumvenit symptomatum cohors. Ingruente malo, primum adeat lumborum dolor gravatus ponderosave tensio; brevi summe intenditur, nephritis tunc audit, occupat partem lumbarem posterius, immediate sub ultima costa spuria, prope spinam, ad angulum; ibi fixus est dolor atrox, clavi instar deurentis, quem quasi vellet æger penitus expellere, videoas in obvia quæque corpora durissima valide latus premere, infigere per quam flebiliter. Interea acceditur febris, pulsus præ dolore contractus est, aliquando velox, inæqualis & etiam intermittens: nervi doloris stimulo lassiti, partes vicinas in spasmos agunt; prior in partem mali venit ventriculus, nausea primum & vomitatio, vomitus inde excitatur cum multo labore, unde pituita, bilis viridis & flava successive ejiciuntur; quandiu per se perseverat dolor, supprimitur alvus; continuato dein ad partes inferiores nervorum erethismo, percipitur retractionis sensus in testiculo vel inguine pro sexus discrimine; stupore dein afficiuntur crus & tibia lateris affecti. Ineunte paroxysmo, urina pauca est, aliquando cruenta, plerumque cruda tenuis & limpida; in statu nulla; remittente, propter delapsum calculi vel arenæ, redditur spissa, turbida, rubicunda, plena fabuli, humore referta glutinoso & filamento rariusculami æmulante lanuginem. Ubi a substantia renis fertur ad vesicam per angusta ureterum lapis, si sit asper, rugosus, aut illius diameter sit paulo major, quot vicibus movetur, tot infligit ægro dolores acutissimos; si unus duntaxat ureter calculo gravatur, tota pars istius lateris male se habet stupore quodam importuno; si ambo ureteres calculo impediuntur, totum abdomen quasi cingulo moleste premitur. Ne mireris tot ab uno proficiunt morbo accidentium species, motus accuses sympatheticos; nervorum propagines quæ a trunco nervi sympathici majoris & medi

F f f 3

oriun-



oriuntur [a], ad eas omnes quas recensuimus modo partes late disperguntur. Hæc sunt symptomata calculi renum soboles, quæ apprime nosse operæ pretium est, ut a cæteris infimi ventris ægritudinibus rite distinguantur, quibuscum aliqua tenuis convenientur.

Hæc symptomatum discrimina morborumque differentias accuratius discernere est animus? non solum allatam symptomatum syndromen ideas, sed animum applies præcipue ad sedem morbi & ad signum pathognomicum, quod unicuique morbo ita specialiter contingit, ut alteri cuiquam congruere nequaquam possit. Sic cholerae morbi sedes in regione est umbilicali; in cholera, bilis supraque infraque magno impetu prorumpt; in nephritide humores sinceri minus auro duntaxat ejiciuntur: in cholera, cum vomitu anxietas summa, virum prostratio, extreorum frigus ægrum male torquent; in nephritide vomitus aliquid afferit quandoque solatii. Sic in hepatitide, dolor spatum emetitur omne, quod est a regione epigastrica ad lumbarem posterius, ubi phlogosis partem occupat convexam, vel dolor regioni insidet epigastricæ & quidem interiori, ubi phlogosis partem hepatis tenet concavam; urinæ, quæ, sanguiente nephritide nullæ sunt aut albæ, sæviente hepatitide, sat libere fluunt & lateritiae; quæ ægre subducitur in nephritide alvus, sat copiose dejicit in hepatitide, si modo paululum sit remissa inflammatio. Hei nephritidisque & sedes & signa plurimum differunt; hei sedes regio est iliaca; ibi etiam excrements alvina vomitu rejiciuntur cum anxietate summa, & frequenti animi deliquio; hæc ideo essentialia signa in nephritide absunt aut rarius occurunt. Neque est quod te deludat enteroceles, qui oritur ab exili plerumque tumore in aliqua abdominis parte delitescente. Fucum ne faciet colicus genuinus intestinorum dolor? Cum variet pro intestino affecto, tum accedit abdominis tensio levi tactu exasperanda, non idem in calculo renum: in colico intestinorum dolore allevat ut plurimum profluvium alvi qualecumque sit; urinæ nec ita crudæ, nec ita suppressæ diu ac in nephritide; neque adest stuporis sensus in crure retractionis in inguine. Nephritis denique distinguitur ab arthritide vaga & lumbagine, in eo quod arthritis vaga uni eidemque loco stare nescia, præcipue ubi viscera infestat, huc & illuc cito divagatur, nihilque mutationis afferit in urinis.

Ubi calculus & arenæ sunt delapsa a substantia renis in vesicam, si ex ea non detrudantur cito citius: obstante scilicet diametro calculi majore, aut moram afferente morboso vesicæ statu, minusve contractili fibrarum tono, crescit lapis jam liberior vesicæ in ruinam; calculum initio tenuem, levem, durumque minus vix persentiscit æger; ardor est in mejendo levis nec perseverans, levi tentatur prurigine glans summa, vecturæ diuturniori succedit vesicæ collō doloris sensus ex improviso seriens; quoniam vero hujusmodi mala minoris sunt specie momenti, nec diurna;

neque

[a] Winslow Anatomie. Traité des nerfs.



neque est levioris mali, iniquissimæ causæ suspicio, vix conqueritur æger incautus. Crescente calculi mole malum ingravescit, dolor est & vividior & frequentior; in perinæo importunus percipitur gravitatis sensus, dysuria cruciat magis, in extremitate urethræ non pruritus tantum, sed irritatio continua molestat, quam æger ut leniat pudendum contrectat, premit, extendit, vel crura & pedes iteratis inter se vicibus implicat: frequenti defatigatur irrito mejendi egerendique desiderio: dum pleno fluit alveo lotium, subito supprimitur aliquando, obstructo scilicet vesicæ orificio calculi præsentia; æger mutare situm, corpus hoc & illuc flectere in varias partes misere cogitur, calculum e vesicæ ostio amovendi causa: in hisce rerum angustiis urinæ redundunt glutinosæ, mixtæ humore mucoso & lymphatico, qui irritata a calculo vesica, tanta copia exprimitur, ut omnibus calculosorum urinis sedimentum plerumque præbeat albicans laeti simile: neque ægrotanti datur copia citatiore gradu corpus movendi, jucundave quadam corporis exercitatione fruendi, dolore acerbiori, mihiusque sanguineo subito plecteretur; vecturæ etiam impatiens qualiscumque, succussione etiam molli, excitata mihiuritione importuniori: noctes saltem quietiores urinam transigeret æger! dolore somnus saepius excutitur, mihiuritione laborat non infrequentiori: tandem calculus in molem auctus grandiore, omnia deteriora facit, dolor est summus, sine ulla remissione pungit; jam somnus penitus recedit, prosternitur appetitus, febris lenta & macies ægrotantem exedunt, morti proxime occumbendum, die non suo, nisi tanto malo occurratur, vel extractione calculi, sectionis ope arte factæ, vel dissolutione hujuscem corporis infensissimi.

I I.

De inquirendo remedio quod calculi renum & vesicæ possit solvere duritiem, ab omni ævo disputatum est; quidam falsa delusi rerum imagine arbitrati sunt, calculum intus nidulanter humoreque licet jugiter perfusum, tantam habere duritiem, quanta donari videtur, ubi aëri externo diu permisus fuit, aërisque vim comprimentem dudum persensit, conluderunt inde lithontripticum verum nec etiam num existere nec unquam extiturum: alii vero de lithontriptico pertinaciter solliciti e triplici regno conjunctim seorsimve adhibito, menstruum ita præpotens eruere conati sunt: at quoniam calculus corpus est durum & solidum, in animum induxerunt, nonnisi a medicaminibus maxime activis, acribus, summeve penetrabilibus, solvi unquam frangive posse: ea sola ducti opinione, oblii pene sunt ipsiusmet œconomiae animalis: nec cogitarunt species ejusmodi lithontripticas agere debere in tubulos & membranas maximæ tenetitudiniis, ipsisque, calculum ut disrumpant, adeundum esse viscus morbo jam laborans, dolore attritum nimiumque sensile, inde tot pessimi effectus lithontripticorum, qui per totam ætatum seriem ad hanc usque

vitu-



vituperati toties traditique oblivioni, toties sunt quasi e suo cinere rednovati: his reclamarunt Medici plures, supplereque voluerunt medicamina lenientia & anodina. quæ renum contextum dolore astrictum relaxando, lubricas fecere vias, unde calculus possit facile elabi: huic methodo infilere tandem sunt arbitrati, dum dies, rerum medicorum usus, experimenta, inventaque nova verum lithontriticum essent tandem aliquando allatura.

Id remedii detegere cupidus, incumbas oportet examini formationis calculi mechanice; simul & investiganda tibi sunt nativa principia, quæ ipsum constituunt. Urina asservata diu in aliquo vase, in illius fundo & ad latera deponit materiem quamdam terrestrem durissimam: terra sola & altera quacumque destituta substantia, qua sua inter se principia coagimententur & veluti conglutinentur, corpus ex se admodum compactum durumve efformat nunquam: unde intellectu facile est, materiem hanc terrestrem, quæ ab urina secreta depositaque fuit in fundo vasis, parte salina & oleosa crassiori esse coadunatam. Jam vero trium horumce principiorum in calculo humano si quereras originem, eam facile invenieris: alimenta quibus vescimur trinam hanc continent substantiam; ea assumimus egerimusque; ante assumta & post egesta, ea principia sunt semper eadem, utpote quæ, cum sint simplicissima, alterari nequam posunt; substantiae sunt semper eadem, nec sibi dissimiles; nihil est differentiarum, nisi in partium coniunctione, mistura, attemperatione varia: si quid est mutationis, illud in vario attenuationis, volatilisationis gradu consistit, quem liquidorum circuitus, eorum motus intestinus, tritusve solidorum attulere: hoc posito, calculi formationem in rene facile intellexeris; ut enim generetur, sufficit ut, quemadmodum pars tartarea urinæ deposita fuit in fundo vasis cui asservabatur, deponatur eadem partim in substantia renis; atqui plurimæ causæ hujus materiei deponendæ ansam præbere possunt; primo copia & ubertas hujuscæ substantiæ crassioris in sanguinis alveo contentæ: secundo vitium ipsorummet canaliculorum qui sunt lotio fecernendo dicati: sanguinem humore factum terrestri & glutinoso calculo progignendo esse idoneum. Illud propalam est, plurimisque exploratum argumentis: calculi primordia plerumque incipiunt apparere ætate paululum jam proiecta, qua humor iste terrestris & glutinosus in sanguine incipit abundare: vulgariter est calculi morbus in viris, quam in mulieribus: ejusdem veritatis totidem sunt specimina homines ipsi calculosi, viri scilicet, si labem non accepserunt traducem a parentibus, ut plurimum melancholici, sedentarii, gulae dediti, studio seriisve intenti laboribus, qui ideo liquidorum gaudent circuitu remissiori, cibos operose concoquunt, ægre fecernunt, quorum proinde liquores sunt crassiores, stases patiuntur ubique, simulque congeruntur: viri denique, quorum vultus totusque corporis habitus lentescentem intus humorem & quasi lapidescentem saepè pronotant: en primum calculi



calculi rudimentum, ut in rene, sic in quacumque corporis parte eadem causa oriundum.

Temperamento ita inique ad lithiasim comparato, si accedat vitium aliquod ipsis glandulis tubulifve renalibus insitum; calculum procreari jam necessum est: porro duo in rene vitia in causa sunt, cur materia calculosa ibi inhibita deponatur, astrictione scilicet fibrarum renalium, nimiae relaxatio: astrictione nimia, pars lotii serosa magis tenuiorque transcolatur, crassiore retenta: in relaxatione nimia, cum fractus pene sit fibrarum tonus, elaterve debilitatus, evenit inde, ut substantia renis imperfecte tantum exoneretur, materiaque lotii viscosa tubulorum affixa parietibus insensiliter adhaereat. Utroque admisso renis vitio, ponamus jam exiguum materiæ terrestris portiunculam alicui renis angulo retardatam commorari, alteri terræ portiunculæ moram afferet allabenti, pars utraque materia viscosa conglutinabitur, quæ tertiaæ advenienti erit impedimento; ibi inviscabuntur multæ aliæ terræ mucive portiones huic basi ceu nucleo congregandæ. Sic exurgit in rene arenularum acervus, qui calculus audit, eodem ampliandus mechanismo. Quæ de calculo renum allata modo sunt, eadem de calculo vesicæ dicta sunt, eo discri mine, quod vesicæ calculus sœpius habeat initium a calculo e rene delapsso cui per orbes & lamellas accrescit. Non hic omittendum adultos calculo renum, pueros vero vesicæ calculo esse magis obnoxios; ratio in eo sita videtur esse, quod infantes solidiorem a natura nocti renum compagem, vesicam habent imbecilliores, adultis vero cum sit renum Parenchyma texturæ laxioris vesica gaudent firmiore: quæreris forsitan, cur concretio lapidosa renem & vesicam præcipue, neglectis aliis corporis partibus, affectare amet: accipe; confecta chilos, secretio urinæ est omnium secretionum prior, unde concludas oportet lotium partibus chili & sanguinis crassioribus & terrestribus magis abundare, quia scilicet hæ partes brevi reduces a vasis majoribus, & colatoria minora numero subiere, & solidorum tritus minus sunt verberatae & attenuatae minus.

III.

Prælibata natione, quæ pertinet ad calculi formationem ejusve nativa principia, sequitur ex ipsa re cognitio remedii calculo dissolvendo idonei, calculus constat partibus terrestribus & salinis, quæ materie viscosa ceu glutine compinguntur atque ferruminantur; indagandum igitur est remedium conflatum partibus ejusmodi, quæ in hac diversa principia specifica gaudent actione, quæcum simul visceri cui lapis includitur, sœvius non inimicentur: atqui remedium alkalino saponaceum Anglicum hisce virtutibus prædictum agnoscitur: illud pharmacum fere totum sapo est Hispanicus vulgaris & eximus; sapo vulgaris est compositum quid ex lixivio

Tom. IV.

G g g fodæ.



sodæ, lixivio calcis & oleo olivarum ad spissitudinem solidam coctum: porro vis unita triplicis hujuscem substantiæ qua sapo coalescit, mediante aqua sanguinem ingressa, agit in partes calculi salinas, terrestres & sulphureas: aqua inter menstrua virtute pollet non mediocri, salia dissolvit, terras penetrat, emollit, secumque abripit disperitas. Oleis & sulphureis oleum est menstruum analogum; huic adjutricem si præbeat operam sal alkali; oleum in olea, resinas & sulphura, ut ut tenacia induratae sint, ingressum habeat peculiarem necessum est: sal alkali fixum & lixiviale pororum configuratione actionem suam exerit, asperum quippe aculeisve horridulum, oleorum, pinguedinum sulphurumque partes filamentosas & intricatas quibus volvitur, attenuat, dividit, potenterque segregat: calx partibus igneis quibus tota foeta est, omnibus hisce substantiis, vitam afflat motum & celeritatem, vimque inserit incredibilem; calx quæ partibus imprimis animalium sulphureis dissolvendis, virtute specifica ita apta nata est, ut sapo calce remota lithontripticum agere nequaquam valeat juxta experimenta D. Hales [b].

Hoc mechanismo, horumque principiorum consociata virtute calculus renum & vesicæ dissolvitur: pars calculi sulphurea & viscosa, quantumvis tenax & indurata. emollita sensim paulatimque attenuata sale & oleo quod in sapone dominatur: penitus tandem dissolvitur; quid tum? quæ prius captivæ tenebantur, visco concatenatae calculi partes terrestres & salinæ, expeditæ paulatim & per partes a vinculis, paulatim corruunt, cum lotio foras amandandæ; inde tot lapillorum frusta, fragmenta, squamæ, cœmenta excreta cum urinis calculosorum hominum qui hocce utuntur remedio; inde materiei glutinosæ, lutose, argillose, gypsose, cretaceæ plurima colluvies iisdem in urinis in formam sedimenti observata. Ejusdem remedii virtus saponacea roboratur testis ovorum, vinaceisque limacibus calcinatis; addita hæc medicamina efformant calcis speciem, terramque absorbentem, in id apprime utilem, futurum ut præcaveant alvi fluxum quem oleosa saponis substantia cito possit accersere; suppeditant quin etiam pauxillum salis, quod sanguini mixtum, sali sodæ adiungitur, virtutemque saponis auget solutivam: eidem indicationi collimat virtus plantarum quæ cum sapone ebulliunt; ex iis quedam sunt paululum oleosæ, carminativæ & stomachicæ; aliae vero salinæ magis & aperientes. Hic animadvertere lubet obiter, hocce lithontripticum, etsi inventi novi laudem sibi vindicare merito possit, saponem si spectes, in quo revera sita est hujuscem remedii præcipua vis maximâque potentia; novitatis titulum arrogare tamen sibi non posse, si habeas rationem limacum putaminumque ovorum calcinatorum, de quibus apud authores [c] plurima fit mentio, quæque tamquam eximia faxifraga fuerunt dudum decantata

[b] Hales de calculo animali.

[c] Vanhelmont Deckers, codices Pharmaceutici.



decantata : pharmacum totum quantum est, (in integro enim virtus) absent ut suo velim honore defraudatum. Pilulae saponaceæ quibus partim constitutum remedium istud Anglicum minoris sunt energiæ , quam ipsa potio ; proficuæ sunt in ipsis paroxysmis doloris nephriticæ , profundit etiam ubi potionem pertinaciter respuit ventriculus , vel denique post ipsius usum diuturnum , si vicariam expostulet opem ipsa segritudo.

De ægrotantibus & de remedio melius consultum iri arbitror, si ipsum, initio suspensa manu & gradatim popinetur , ita ut , primis diebus decoctum saponaceum solum dimidiata dosi bis in die ministretur donec ventriculus renes & vesica præsertim assueverint ; deinde ter in die devoretur ; tum augeatur paulatim decoctum ad dosim præscriptam , scilicet ad uncias octo , postremo vices alias semper servando & pulveres & decoctum plantarum in usum advocentur.

Menstruum ita præpotens , quantumvis laude dignum , ad usum tamen interiore neutiquam esset evocandum ; si in membranas acerbe ageare , aut reni præcipue & vesicæ dolorem atque detrimentum afferre valeat. Atqui partem corporis ullam , minime vero renem & vesicam , male afficere non potis est : quas enim continent partes salinas acres & lixiviales , ex melle & oleo præsertim quod abundat ita sunt extense , intricate , atque irretitæ , ut nocere nequaquam possint : præterea id medicamenti adhibeas nunquam , nisi præmissa præparatione , cautioneque diligenti , quæ tanti sunt momenti , ut iis omissis neglectisve , parum aut nihil succedere hocce lithontripticum probaverit eventus : de iis præparationibus infra , apud authores enim ipsos hujuscæ lithontriptici ne verbum quidem.

Demonstrata jam est analogia inter calculum dissolvendum & remedium dissolvens : dissolventis probata est actio a similitudine & convenientia principiorum quæ mutuos in se habent ingressus : nunc ut virtus eadem pateat evidenter in medium afferenda sunt experimenta tentata in urinas ægrotantium , qui assidui laudato usi sunt medicamine : Illa experimenta celebrata a Pharmacopœo [d] peritiæ , famaque non vulgaris , declarant hocce menstruum sanguini misceri , cum sero coalescere , ipsique sua principia suasque conferre proprietates. Accipe , , urinæ , nam potionē saponacea pulveribusque de quibus agitur dudum imprægnata , tam , vaporet ad siccitatem , residuum est massa fusca , spissa , salibusque ita referta , ut a centro ad circumferentiam tota striata appareat : hujus massæ deliquium , segregatum a parte oleosa , si rursus vaporet , sal exhibit sali sodæ proximum , simile sali quod idem author a sapone extraxit. Quæ finita operatione superest pars oleosa ipsum est saponis oleum.

G g g 2

Uri-

[d] Monsieur Geoffroy. Lettre de Monsieur Geoffroy à M. Hartley dans le recueil d'observat. sur les effets du rémede de Mademoiselle Stephens.



Urina eodem imprægnata remedio, urinosum quid magis alkalinumque redolet [e], quam urina vulgaris, eadem syrumpum violaceum colore mutat viridi, cumque acidis fermentescit paulo vividius quam solet sanorum urina: eidem, si affervetur aliquandiu, videoas supernatare oleum tenuissimum, quod ipsum est saponis oleum.

His experimentis constat sal sodæ oleumque quibus sapo conficitur, in sanguinem intromitti, feroque communicari: serum sanguinis hæc principia cum intestinis ebiberit, sit ipsum dissolvens, ipsum materias gummosas resinosasve, calculi nexum, penetrat, dividit, secumque abripit dissociatas. Dubitas? Inspice urinas, earum in medio suspensam cernere est materiem glutinosam, filamentosam, gossipio aliquatenus similem, sibiique sat stricte coherentem, quæ nihil aliud est quam sulphur crassius, nativum calculi vinculum. Novam desideras probationem? Rursum advoca chymiam: urina de qua mentio, „ misceatur cum oleo calcis per deli- „ quum [f], fiet præcipitatum ex albo flavescens, ex quo dato tempo- „ ris spatio separatur materies quedam gravis, pinguis & mucilaginosa „ quæ sensim exsiccatur glutinisque taurini ad instar indurescit: urina sa- „ norum cum oleo calcis mixta leve dumtaxat efficit coagulum, nullo „ apparente glutine, atque non nisi difficillime exsiccatur & induratur, „ purissimi salis sodæ solutio huic affusa urinæ, missam flocculis albis sibi- „ que coherentibus conflatam dat præcipitem: fortissimum sodæ vulgaris „ lixivium flocculos hosce segregat disjungitque, solet ut oleum calcis per „ deliquum efficere.

Age nunc menstruo saponaceo dissolvitur mucago durissima, qua calculi pars terrestris vincita tenebatur, nonne inde totius calculi conisequi debet destrucción proindeque ægrotantis perfecta sanatio? de qua fidem faciunt plurimæ observationes: argumento est oculis conspicienda in fundo matulæ deposita plurima materies alba, cretacea, fabulosa, quæ est ipsa calculi pars terrestris ejecta cum urinis: huicce veritati vires addit novum hoc experimentum [g]. Calculum humanum mitte in urinam calculosi hominis potionis saponaceæ dudum assueti: urina ejusmodi pluries renovata calculum paulatim penetrat, minuit dissolvitque integre: dixi adhibendam esse urinam hominis potionis saponaceæ dudum assueti; lotium enim recenter dumtaxat hoc imbutum medicamine, cum magnam arenarum sedimentique vim secum devehat, calculum gravaret ampliaretque, nedum minueret dissolveretve.

Ecquis saponis vim solutivam impugnare audeat? Pleraque medicamina in morbis administrari solita spones agunt: quid sunt apozemata, jufcula amara, remedia in morbis tam acutis quam chronicis, ut vulgatissima sic efficacissima? Succi sunt herbarum plerumque sale neutro mediati,

[e] Ibidem. Détail de quelques expériences de M. Hartley.

[f] Ibidem Lettre de Monsieur Geoffroy à M. Hartley.

[g] Ibidem M. Hartley, détail de quelques expériences.



cati, melle, syrupo, carniumve animalium jure edulcati; emulsiones salia quodam falso stimulatae virtutem quoque saponaceam referunt: hæc omnia saponis liquidi speciem exhibent. Boli, Electuaria, opata, extractis, salibus, gummis & resinis confecta, melle, syrupove concorporata, saponis solidi speciem quamdam æmulantur: hæc remedia salina simul & oleosa ad instar saponis vulgaris actionem suam exerunt, phlegmata incidunt, resinas detergunt, sales heterogeneos dissolvunt, terras nocivaque omnia foras eliminant: sic etiam cortex Peruvianus in corpore unitus cum humore biliose, bilis fit dissolvens: sic radix Brasiliensis materie intestinorum viscosæ & acri inhærens, ipsius fit dissolvendo specificum.

Remedium alkalino-saponaceum anglicum non unicum habet calculi dissolvens; salia acida purissima ipsum melius dissolverent, citiusque disrumpent, si ad usum interiorem vocari adhucdum potuissent, illave integra, omnibusque suis armata aculeis, innocue interius adhibendi modum ars edocisset. Aqua sola fluviatilis purissima, id est parte sua terrestri, quantum fieri potest, orba, inter egregia calculi dissolventia annumeranda venit: constat experientia lapidem humanum mersum in aqua identidem renovata, ab ea paulatim dissolvi, sensim labefactari, penitusque tandem destrui: aqua intus assumpta largius epota effectum ita certum æque felicem obtineret certe, si materie calculosæ novos appulsus in calculum impediendo par esset; atqui quod efficere sola non potis est, præstat id in plerisque calculosis munita sale alkali, calce & oleo, quibus sapo componitur; hoc adjuta præsidio, quidquid obeundo offendit crassius terrestre & magis viscosum, illud adoritur primum, deturbat fugatque: deinde cum alimentis miscendo seie, priori chilo insinuat, quem defæcat præparatque, quantos ad usum! Chylus enim cæterorum humorum fons est & origo: tum massam liquidorum omniem pervadit; ibi quidquid est crassum, viscosum, terrestre & glutinosum, sive in oleis, sive in salibus, sive in partibus terrestribus ita comminuit, ut brevi omnis futuræ calculosæ materie semen suffocatura sit, novisque illius productiones sufflaminatura: denique liquores omnes principiis suis alkalini saponaceisque ad id saturationis punctum adducit; ut serum sanguinis ipsum brevi sit futurum totum pene alkalimum, ipsisque concretionibus calculosis dissolvendis apertissimum.

Omnia interius multo melius se habere ipse indicat corporis habitus; brevi suis calculosi non solum levantur doloribus, sed etiam paucorum mensium intervallo, alios quasi in homines conversos diceres; sanguis est fluidior, secretiones sunt magis expeditæ, facies quæ nuper abjectæ, dolores, humoque similes apparebant, nunc hilares spirantes, beneque coloratae nitent; qui nuper præ dolore diutino emaciati videbantur, nunc pinguescent & opimantur, omnibus vitaæ civilis muneribus obeundis impigri.



I V.

Celebret quantumvis suum theoria remedium, huic si non praxis medicata natales dederit, illiusve usum faltem non comprobaverit, vanum id, & futile sæpius, imo etiam aliquando noxiū habeatur: circa morbos eorumque remedia ratiocinari, utile & sæpius necessum est, ast in ea penes experientiam & praxim medicam summum esto dominium, judiciumque irrevocabile. Porro quid statuit praxis de remedio alkalino saponaceo anglico? Lithontripticumne prædicari debet in omni & qualicunque calculi genere specificum? Ipsiusne effectus nunquam irritus? Convenit & omni ætati & sexui & temperamento? Jamne oblivisci lithotomi? Ipseque in vagina recondendus in perpetuum? Sit istud in confesso, novum est id remedii, non antiqua proinde nec multiplici firmatum experientia: sat tamen magno observationum numero inclaurit, ut expendi diligenter attentiusque explorari mereatur, ipsius utilitas satis jam innotuit, ut quibus in morbis proficere jam visum est, iisdem in posterum adhibeatur; satis jam cessit faute, ut inquirantur casus quibus feliciter inservire de novo valeat, ut assignentur denique illi, quibus aut non convenire aut nocere quadantenus posset.

Quot homines calculosi, totidem calculatorum species; lapides hospitantur, aut in renibus & vesica separatim, ut in utroque simul: illorum durities colorque diversus: sunt albi, flavi, rubri, fuscogrisei aut cineritii & nigri. Calculus renum mole minor, vesicæ calculus major, celestiusque accipit incrementum; si solus est in vesica, grandior ut plurimum, magis asper, rugosus, & inæqualis; si plures commorantur, minores sunt & superficie læves. In tot tamque diversas calculatorum species, æquilaterne actionem exerit suam lithontripticum novum? Cave credas; multo debilius renis quam vesicæ calculus impugnat, ratio propalam est, in fistulosa renis substantia brevior urinæ mora, rapidiorque fluxus, quam in cavitate vesicæ: mucago quidem arenaque renum a remedio saponaceo potenter solvit & abripitur, sed hujuscæ visceris calculus non nisi post longum tempus, multa arena depulsa, apertis lubricatisque canalibus extruditur: eliminati e renibus calculi substantia (nisi sit admodum mollis & friabilis) neque erosa neque ullo fere modo detrita, ut plurimum, observatur; color tantum nonnunquam mutatus alteratusve deprehenditur. Egrotantes nephritide diu multumque laborarunt? Ubi primum hocce utuntur remedio, nonnunquam acrem paululum, dolorificamque illius sentiunt actionem; sed ubi mucaginum arenularumque plurima colluvies cepit everri, sensim obtunditur dolor, penitusque evanescit; id incommodi sæpius experintur ii, qui neglectis cautionibus præparationibusque infra dicendis, ad id remedii præcipites & imperiti confugiunt: ex his colligere est quid reni laboranti afferat utilitatis; illum a vifida materie

lapil-



lapillulisque lalentibus expurgat, novam omnino calculosam arcet præpedite progeniem, ipsumque tandem calculum ejicit, non tamen erosum & attritum, solet ut calculo vesicæ evenire.

Nunc autem quænam sit lithontriptici nostri actio in calculum vesicæ inquirendum. Duo calculorum genera vesicam occupant: aut calculus ibi efformatus genitusque est: aut e renibus delapsus, in ea sensim incrementum adeptus est: qui sponte efformatur in vesica lapis, rarius est in adultis; rursus duas agnoscit causas, primo ipsum vesicam in statu morbo jam constitutam, imbecillem, tono minorem; plicis, rugis, fossulisque multiplicibus lacunofam; ibi impeditur arena, aggeritur, ædificaturque in molem lapideam; lapis hujusmodi sæpiissime albus est & fabulosus: secundo ipsum vesicæ humorem vitiatum, mucaginem scilicet vel materiem viscidam, albam, spissam, ex ipsiusmet vesicæ glandulis stellantem; hæc materies inspissatur sensim & induratur in lapidem, qui substantia gypsea vel cretacea omnino similis est; huic lotium jugiter allabens, suo sedimento adjicit semper aliquid calculosum: a quacumque causa generetur in vesica calculus immediate, semper duritiem habet minorem quam calculus renum, propterea quod illius basis vel nucleus minus est durus & solidus quam nucleus calculi renum. Vesicæ igitur lapis, ille scilicet qui in eo viscere immediate producitur, facilis citiusque dissolvitur lithontriptico Anglo, quam quilibet aliis; atque per lamellas frustulatimve divisus aut in pulverem comminutus, cum urina foras amandatur.

Si vesicæ calculus a calculo renum ortum duxerit, plures quoque sunt illius species, quæ colore & duritie differunt; species vulgarior, est lapis subflavus & lapis subruber; licet singula granula quibus, componuntur hujusmodi lapides sint durissima, mucago tamen vel gluten quo compinguntur, nec est solidissimum nec impervium; ideo modo diuturnus sit remedii usus firmaque patientia, sensim a menstruo dissolvitur, atque in fragmenta squamulas & portiunculas duras mollesve expellitur: hic annuantum calculi (flavi rubrive) albas esse semper exuvias: hujus phænomenis ratio ipsam comprobat remedii actionem; agit quippe in sulphur crassius, nativum calculi vinculum, quod a lithontriptico divisum attenuatum & perpolitum sensim albescit. Est & altera calculi species e renibus advena, qui colore fuscus est, ille scilicet æmulus, præcedentique multo solidior, pondere gaudet specifico multo graviori, unde menstrui saponacei tela potentius hebetat, ingressumque negat pertinacius; integrum tamen eludere virtutem remedii nescit; ab ipso separantur crustæ, parte externa albantes, interna vero obscuriores; hujus nucleus nonnunquam est inexpugnabilis, idcirco erosâ superficie externa, quæ minus semper dura est, vis remedii frangitur, ubi venerit ad centrum, quod intactum in cystide remanet, rudimentum calculi, brevi jam futuri grandioris. Reperitur & in vesica aliis calculus colore niger, asper, mamillaris,



laris, ad instar mori fructus, scoriarum ferri formam & colorem referens; hic non componi videtur ut cæteri calculi ex lamellis & orbibus concentricis, sed conflari ex granulis prope conoideis, quorum cuspis centrum calculi spectat; grumi sanguinis exsiccati non solum corticis exterioris loca quædam occupant, verum etiam spatiola quædam replent in interiore calculi sita: iste sanguis grumosus est quasi gluten & vinculum quo totum id calculi genus compingi videtur: omnium iste lapis durissimus est atque ponderosissimus, si enim per medium fecetur marmoris & achatis ut levitatem sic & duritatem habet: ejusmodi calculus sepiissime a menstruo saponaceo ne vel leviter quidem stringitur: sunt & aliae calculorum species, quæ colore & duritie speciebus jam descriptis quadangulus similes, ad ipsas commode referuntur. Sic instituto examine perpenfaque natura variorum vesicæ calculorum, concludere licet in genere, lithontriticum Anglicum posse convenire tribus prioribus calculi speciebus modo descriptis: calculo scilicet albo, flavo & rubro; fusco autem non adeo præsens, nigro vero mancum & irritum esse præsidium, proindeque horum exitum scalpello, illorum lithontriptico esse tentandum.

Hæ sunt præcticae notiones non ita magno, sed bene fido observationum numero acquisitæ circa usum & naturam hujuscæ medicaminis: de hoc plura dies & usus edocebunt. Hic quæres forsitan, qui calculi ita diversi intra vesicæ cavitatem delitescentes, dignosci a se possint invicem, quibusque ducti indiciis ad scalpellum aut lithontriticum confugere debeamus? Primo, signa pathognomonica & propria reni & vesicæ indicant, quinam calculi ortum duxere a renibus, quinam vero a vesica; qui a rene habuit originem solidior est, coagmentatus basi seu nucleo duriori, propter spatium angustius, compressionemque factam a strictiori contextu renum: secundo diversorum calculorum certam habere possumus notitiam ab arenulis sedimento que cum urina excretis, qualis enim arena, talis calculus: tertio denique impulsam in vesicam specillum solerti peritaque manu, de calculi mole & duritie ferre potest judicium fere numquam temendum.

Etsi diversa calculorum durities majorem minoremve opponat lithontriptico resistentiam, fatendum tamen est, id remedii, quod prospere magis vel minus succedat, habere id, a vi dissolvente plus minusve efficaci, quam impertitur corporis nostri liquoribus: quod virtus hæc plus minusve transeat partibus fluidis, iisque intimius & efficacius communicetur, id pendet ab ipsa liquoribus insita dispositione, & varia pro variis subjectis fluidorum crassi, in quo autem consistat hæc dispositio assignare penes nos adamussin non est.

Addere res ipsa monet, sive per calculi naturam liceat uti lithontriptico ad dissolutionem, sive necessitate compulsi confugere debeamus ad operationem chirurgicam, in utroque casu remedium saponaceum summæ semper futurum esse utilitatis jmo necessitatis; neque enim satis est si quis



quis calculo liberetur; novam ipsius productionem præcavere summum est operæ pretium; atqui id redundabit commodi a novo medicamenti genere, unde patet illius operam accersendi necessitas etiam celebrata operatione: præterea sunt vesicae quædam male affectæ, sectioni chirurgicæ ferendæ, proflus impares, unde nova ratio, novaque exurgit necessitas, lithontriptici faciendi periculum, modo ægrotans ea sit ætate constitutus, quæ hoc remedio sit ferendo idonea.

Experientia notum est, hoc medicamentum in puerili ætate & etiam in juvenili, vix prosperos habere successus, illudque effectus edere feliores eo quo est ægrotans ætate majori proiectus: tam mirandi ratio phænomenis posita videtur esse in ipsam natura remedii, & constitutione corporis juvenilem ætatem degentis: id quippe medicamenti acre genus est & stimulans, in juventa fibræ teneriores & membranæ exquisitiōri sensu præditæ, vividius sollicitantur, faciliusque convelluntur: præterea idem menstruum non agit immediate per se, transfunditur in sanguinem; ibi cum fero admixtum & veluti concorporatum, ipsi suam virtutem indit alkalinam & dissolventem: verum liquores serosos sua virtute alkalina imprægnare non potest, nisi illos inveniat aptos natosque, ut ita dicam, ad ipsam recipiendam: porro juvenum partes fluidæ minus sunt faciles ad istam combibendam virtutem quam serum, quia scilicet illorum liquores sunt multo aquosiores, minusque vergunt ad alkali, quam ad acorem aut acidum, quod pugnat contra facultatem remedii saponaceam & alkalinam: contraria de causa multo salubrius est hoc lithontripticum hominibus ætate integra constitutis aut etiam consenescente proiectis, qua sanguis spissior parte serosa minus luxuriat, alkalique est magis proximus, quæ quidem fluidorum crassis & dispositio cum eo medicamine mire congruit, quod totum est alkalinum & saponaceum.

Ægrotantis aliquando temperamentum affert quoque nostro dissolventi impedimentum non mediocre, qui enim delicatiorem a natura sortiti sunt corporis compagem, quorum fluida hæreditario aut nativo quodam falso acri charactere obsignantur, qui scorbuto, cachexia, tussi aliove pectoris morbo detinentur; his potius & aliis ægritudinibus confecti quam calculi doloribus; ab ejusmodi ægrotantibus exulet lithontripticum Anglicum, quorum vitam absumeret citius, quam calculum ne vel leviter quidem ceperit perstringere: laboratne aliquis abscessu quodam viscerum aut ulceræ renum? Caveat a laudato dissolventi, ne dolores aut sopiti suscitentur, aut vividiores provocentur.

Ponamus nunc ægrum eo calculi genere laborantem, quod dissolutionis sit capax, eo temperamento donatum, quod sit eidem par probe sustinendo; ea denique ætate, quæ menstruo favere, illiusque operam promovere possit: hoc posito, cautions, præparations, diætamque severioribus adstrictam legibus præterea poscit propositum medicamenti genus: æger sit in bibendo parcus, ne potionem saponaceam justo plus diluendo,

Tom. IV.

H h h

infir-



infirmit : vino admodum sobrie utatur , cibis abstineat crudis conditisque insalubriter , lactis usum abneget , fructuum que eorum maxime qui sunt acidi : corpus moderate exerceat , motibus animi parcat , corporis voluptatibus immoderatis valedicat animose : hæc ubi non servantur scrupulosius , nihil sanationis affert severum medicamenti genus : evenitque inde , ut , quod in pravam vivendi rationem esset refundendum , errorique diætæ tribuendum , ipsi remedio , licet immerenti , vitio detur : nec satis est , cautiones præscriptæ modo , rerumque ordo , tanti sunt momenti , tantaque religione observanda , ut si quis instituto vitæ generare , negotiis curive impeditus , a sumendo exacte remedio avocetur ; & vita genus mutare , & negotia refescere ad tempus debeat , si modo opportatum sanitatis finem velit aliquando assequi.

De præparandi modo , hæc accipe . Si corpus ægrotans plethoricum est , nephritidique obnoxium , venæ sectionem præmittito , diluentia , lenientia , blanda cathartica adhibeto , balneoque corpus emolli : his rite institutis , menstruum facilius sanguini admiscetur , ipsique intimius consociatur ; aut nulla aut pauca exurgunt ab illius usu symptomata , laticeisque menstrui virtute dissolvente citius imbuuntur . Si inter utendum aliqua sœviunt symptomata , faucium phlogosis , astrictio alvi , fluxusve immodicus , hæmorrhoides , dolores nephriticæ , febris omnium symptomatum pessimum ; his medeatuer Medicus , ut artis est , augendo , minnuendo , varieve attemperando dosim saponis aut pulveris , differendo etiam remedium integrum ad tempus : sed ipsum prorsus dimittere , absque evidenti necessitate , nefas , docuit enim non semel experientia , idem perfectæ sanitati restituisse non paucos , quibus primum nocere videbatur .

V.

Inter omnia fere quæ extitere remedia magni nominis , fuit id commune omnibus , ut initio præsertim nec ita bene audierint , nec prosperos æque successus , ac in posterum , habuerint : sint exemplo cortex Peruvianus & radix Brasiliensis , ubi primum inclaruere , ignorabatur , radicem Brasiliensem in dispositione viscerum inflammatoria neutiquam esse adhibendam , corticis vero peruviani & cum catharticis optime consociari posse vires , & continuandum esse illius usum etiam longo post fugam paroxysmorum tempore : dicendum idem de remedio hoc saponaceo ; illius actio , vera licet , tenebris involuta siluit , donec apertis cadaveribus hominum quorumdam [b] qui plurimi fuerant in usu remediis Anglici , quique vel calculi doloribus confecti , aut quovis alio morbo imperfecti occubuere , tum primum emicuit lithontripcti virtus exi-

mia :

[b] Recueil d'expér. & d'Observat. sur les effets du remède de Mad. Stepb.



mia: inventi sunt calculi [i] exesi, erosii, quasi carie tentati, calcinatos dixisses: hi de sua substantia plurimum amississe, moleque diminuti videbantur: ex horum superficie quæ albicans, emollitaque apparebat, desquamabantur cortices iis similes, qui e vesica, dum viverent affatim exierant, friabiles scilicet atque cretacei, qui que centro propiores erant, eo nativum calculi colofem atque duritiem magis retinebant: ex his eruitur certissimum argumentum invictissimaque probatio actionis remedii, quod pro votis cessisset, melius, si inter ægrotantes plurimi, integrato victi sapore remedii, illud diutius forbere voluissent, quidam vero potuissent.

De eodem remedio observatum aliquid legitur & detectum curiosius, [k] & ad rem maxime comparatum. Crudeliter vexabatur vir quidam calculi doloribus a viginti plus annis; cum remedium Anglicum diutius devorasset, tantum ab eo accepit solatii, ut se perfecte sanatum arbitraretur: exinde a remedio sumendo omnino destitit: duobus elapsis annis, lethargo correptus, interiit: apertum est cadaver; in vesica reperi sunt calculi duo mediocris magnitudinis, qui cavi erant, qui que singuli in sua cavitate unum continebant lapidem: hi calculi si inter digitos agitabantur, edebant sonitum, solet ut edere semen exsiccatum in suo nucleo inclusum: iidem lapides ferræ transversim secti sunt, ex singulorum medio prodiit calculus mollis, exesus, quasi putridus, & in pulverem digito jam comminuendus: isti nihil erant aliud quam reliquiae priorum calculorum, quos ægrotans, dum viveret, dissolvere tentaverat olim ope remedii Alkalini saponacei. quibusque etiam tum impressi cernebantur morsus menstrui saponacei: verum propterea quod ægrotans satis diu non perstisset in usu remedii tam salubris, calculus jam jam in pulverem abeundis, proh dolor! novæ accreverant crustæ seu orbes lapiidei qui lapsu temporum indurati exsiccataque magis ac magis laxius antiquas calculorum reliquias involvebant.

Hæc & alia ejusdem generis observationum momenta ab ipsis desumpta cadaveribus, nedum famæ lithontriptici aliquid detraxerint, stabiliverunt contra, ipsiusque virtutem promulgarunt. His edocti calculosi homines, imo facti certiores de istius medicamenti virtute dissolvente, certatim ad illud confugerunt, ut longo usu, medias inter potionies multo aspergas fastidio [l],

H h h 2 tædi-

[i] Ibidem observat. 28. 97. 100. &c.

[k] Ibidem lettres de M. Chéfalden à M. Morand. Lettres de M. Sharp. à M. Morand.

[l] D. Goffroy conficit saponem vulgari ut magis efficacem, sic palato non ingratum, cuius hæc est descriptio. Recipe calcis vivæ partem unam, sodæ partes duas, solve in aquæ f. q. filtretur liquor in vase vitro, vaporet ad pelliculam, adde olei olivarum partes duas, pistilla in mortario marmoreo dorec saponis consistentiam acquisieris. Oleo olivarum substitui potest oleum amigdalarum. Oleum Been.



tædiique plenas, huic quærerent ægritudini medelam, cui nulla salutis spes affulget aliunde, nisi ab operatione Chirurgica, quæ quantumvis sit utilis & medicorum lucubrationibus, chirurgorumque in primis Parisiensium peritia atque solertia ad summum prope perfectionis apicem perducta, ipsa tamen est dolorum acerbitate, ancipiti eventu, recidivæ que metu nimium formidanda. Si tamen aliquis eventa quædam parum feliciter adversus lithontripticum nostrum, in malam partem detorquere vellet; cur non vicissim peteretur ab eo, ubinam gentium reperitur remedium ita specificum, ut effectu suo nunquam caret?

Sed quid e cadaveribus mutuari laudum argumenta? homines e calculi morbo recreati ampliorem laudabiliorumque suppetunt observationum messem: inter plurimas quæ extant præsto sunt duæ notissimæ, quas referre animus est. Duo viri plusquam septuagenarii calculo vesicæ plurimis ab hinc annis male habebant. Calculum non solum signa diagnostica & pathognomonica arguebant, sed etiam catheter in vesicam impulsus de eo fidem certiore faciebat: Ex iis alter robustioris vir temperamenti, calculo vesicæ laborabat rubro a rene delapo, vesica etenim donabatur optima, & calculos rubellos pluries jam a rene dejecerat; alter vir jam effectus pessimum habitus, vesicam habebat imbecillum, rugosam, lacunosam sectionisque chirurgicæ ferendæ imparem, ut ipsi asserebant medici [m] peritissimum in arte chirurgi [n]; iste calculo in vesicam generato laborare videbatur, id indicabat pravus vesicæ status, testabatur idem symptomatum nephritidis absentia: uterque remedium alkalino-saponaceum anglicum devoravit integrum, id est cum pulvribus decocto & plantarum: prior intra trium mensium spatium cum dimidio pristine sanitati fuit restitutus, alter sex mensium decursu calculo perfecte liberatus est cum multo sanitatis foenore: uterque cum urinis magnam fragmentorum, pulverum, ramentorum copiam dejicit. Neque est quod scisciteris curiosius, an post curationem calculus cathetere de novo fuerit exploratus, ægrotantes plerique jam dolore liberi novos dolores a cathetere infictos, ad id unice (sic arbitrantur) utiles, ut remedio famam & honorem concilient, pertinaciter recusant; ast diuturnitas temporis & fuga symptomatum ipso specillo forsitan certiores, de fanatione nullum dubitationi locum relinquunt.

Accidit aliquando, ut calculi specillo tacti molem majorem referre videantur, & tamen ægri calculo plane liberentur, licet parvam duntaxat tum sedimenti tum calculi copiam evacuaverint: rationem quæris? Calculus præsertim humanus multam materiae aëreæ [o] quantitatem inficit, unde evenit, ut in ipso dissolutionis opere ista materies aërea avolet, atque dissipetur sine manifesto ægrotantis sensu: adde quod materia

[m] Mrs. Vernage.

[n] Morand.

[o] Hales de calculo animali. •



materia ipsa calculi soluta attenuata & comminuta minus spatum occupebat, proindeque molem minorem quam autem dissolutionem exhibeat.

A prisca hominum ætate in detegenda medicamentorum simplicium virtute, in scrutanda specificorum vi, majoreque pollutia, huc usque insudatum est: eorum agendi modus, confiendorum ratio & norma, applicandorum tempus & occasio indefesso labore indagata sunt: hominum remediis, ut quid ratio par non haberetur? utquid non animum intendere, sive ad ipsius explorandas meditando vires & energiam; sive ad ipsius, observando, ampliandas perficiendasque proprietates? quo & incommodi minus & plurimum utilitatis habeat. Ad id ut allaboremus, eo animosius impelli debemus, quod observationum sanationumque prima seges, tum apud exterorū tum apud nostrates excerpta, remedii saponacei vim solutivam præmonstrare & spondere merito jam visa est.

Ergo calculo rēnum & vesicā, pro natura calculi, etate & temperamento egrotantis, Remedium Alkalino-saponaceum Anglicum.

MAOI

H h h 3





S. AND R.

JOAN.



C X I V.

JOAN. FRIDERICI SCHREIBER
EPISTOLA AD ILLUSTRISS.
ALB. VON HALLER,
DE MEDICAMENTO
A JOANNA STEPHENS,
CONTRA CALCULUM DIVULGATO
INEFFICACI ET NOXIO.

Götting. 1744.



Landesbibliothek Oldenburg